
DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-octavâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LVIII.

M. ANNA-CAROLO LORRY,
Doctore Medico, Præside.



An parturienti accidente hæmorrhagiâ uterinâ, partus diversâ, pro diverso casu, encheiresi promovendus?

I.



PERACTA conceptione, uterus accuratè clauditur, ovulum amplectitur undique, sensim crescit, & turgentibus propriis vasis quaquaversum extenditur, tenello embryoni hospitium, alimentum, accretionem suppeditans, donec ille grandior factus ac propriam vitam vivere jam idoneus, præfinito à naturâ temporis articulo, in lucem prodeat. Verùm quot & quantis, antequàm portum attingat, jactari potest procellis! Inter quas ut non frequentior, ita nec periculosior ferè tum infanti tum parenti quàm sanguinis ex utero profluvium. Quod quidem, cùm quolibet gestationis tempore possit incidere, cave ne cum fluxu menstruo, cui primis graviditatis mensibus obnoxiæ sunt nonnullæ mulieres, errore confundas vix excusabili. His enim tempore solito, nullâ prægressâ occasione, parciori copiâ, lentè ac sine doloris sensu, ex vaginæ & cervicis uterinæ vasis, non ex uteri fundo, sanguis fluit haud concretus; dum autem fit hæmorrhagia uterina, tunc dolor percipitur, præcessit causa occasionalis, ruit sanguis derepente & copiosiùs, congelati cruoris grumi identidem excernuntur, aperitur os uteri internum. Quæ profluvia à primo ad septimum gestationis mensem accidunt, ea ut plurimùm abortionis vel causa vel effectus habenda sunt, & repetitâ venæ-sectione, quiete tum corporis tum animi, abstinentiâ à coitu, anodynis medicamentis curantur, simulque immatura fœtûs expulsio potest nonnunquam præcaveri. Quæ verò duobus postremis mensibus eveniunt, ea longè periculosiora ac tantò magis pertimescenda quò propior est termino mulier prægnans, suprà laudatorum medicaminum efficaciam effugiunt, matremque unà & infantulum letho darent, nisi partus variâ pro variis casibus encheiresi promoveretur.

II.

CAUSAM proximam & conjunctam ferè omnium ex utero in gravidis profusionum à placentæ solutione repetendam esse satis superque testatur autopsia. Quoties enim post partum quem hæmorrhagia antecessit, attentis oculis perlustrantur secundinæ, toties videre est harum faciem convexam concretis sanguinis grumis fœdatam, quæ, si foret integra, utique lævis esset,

polita ac chorio tecta. Mundata verò & absterſa, denuòque preſſa digitis, ſtigmata ſanguinea oſtendit, violentam & præmaturam avulſionem evidentiſſimè demonſtrantia. Quanta autem ex iſtâ placentæ ſolutione & matri & infanti immineant pericula, non ignorat qui uteri gravidi ſingularem ſtructuram, mirandamque cum placentâ connexionem apprimè edoctus eſt. Quæ etenim in utero vacuo vix conſpicua fuerant vaſa ſanguinea, majorem ac majorem in prægnante adipiſcuntur diametrum, ita ut ultimo graviditatis tempore digitum admittant; unde, cùm eâ proportione quâ ampliatur uterus affluentis liquidi augeatur copia, ſemper eadem remanet hujus viſceris craſſities. Illa autem vaſa cum placentæ vaſis miro artificio communicant, dum ſcilicet cola uterina placentæ porulis, & viciſſim hujus radiculæ uteri cavernulis recipiuntur. Quoties igitur quâcumque de causâ præproperiùs rumpitur hæc connexio, tunc adapertis oſculis vaſorum uteri, fluit indeſinenti motu ſanguis, diſſolvitur neceſſariò fœtûs cum matre commercium, adeòque perit infans nondum natus, perit ipſa mater vitam fundens cum ſanguine; idque eò celeriùs quò & latior placentæ pars ſolvitur & gravidior eſt uterus.

I I I.

PATET igitur ex anteceſſis (§. II.) tandiù erupturum ſanguinem quandiù remanebunt hiulca vaſa ſanguinea uteri, donec vires mulieris effetas, omninòque de eâ conclamatum monebunt crebræ lipothymiæ, aurium tinnitus, oculorum caligines, ac nervorum diſtentiones. Neque hîc juvant imò nocent potiùs venæ-ſectiones, aſtringentia, aliave remedia in aliis hæmorrhagiis uſurpata. Claudendi rivi. Una hæc eſt indicatio. Nunquam autem claudentur ita diſtenti canales, ni contractioni uterinæ locus detur. Hæc enim actio, quaquaverſum nitens, ſola exundantem fluxum, non modò oſtiola quibus jugiter ſtillat obturando, ſed & tuborum diametrum ſenſim imminuendo & ad priſtinam capacitatem revocando, potis eſt compeſcere. At verò fœtus, dum in utero manebit incluſus, contractioni hujus viſceris adeòque bonis effectibus inde oriundis neceſſarium opponet obſtaculum, ſiquidem vel minima placentæ portiuncula in utero quandoque relicta gravi hæmorrhagiæ ſæpiſſimè anſam præbet. Salutis igitur ſpes unica in fœtûs eductione. Nec expectandum donec exhauſtæ ſint omninò parturientis vires. Sed quam primùm vocatus, ad omnia animum intende ſedulus. Si jam à ſatis longo temporis intervallo profluvium perſtitit, ſi dolores incipiunt remittere, ſi aures tinniunt, ſi deficit animus, naturæ noli negotium relinquere. Periculum in morâ. Manus illicò in vaginam immittenda, os uteri digitis dilatandum, dein ruptis membranis pedes infantuli, ni caput obvium ac jam inferiùs protruſum ſit, ſuo loco quærendi, & vi quâdam adhibitâ educto ſic fœtu, ſecundæ protinùs prehendendæ ac leniter adducendæ cum ſanguinis grumis intra cavitatem uteri concretis. Hâc methodo miſella mater ferè animam agens ad vitam revocabitur, & infans ſaltem poterit ſacris baptiſmi aquis ablui: deficiente autem artis auxilio, uterque certæ morti debebit occumbere. Cujus quidem calamitatis innumera ferè exempla cuique Medico in praxi occurrunt & paſſim apud Auctores leguntur, præſertim inter pretioſas *Mauricæi* obſervationes, dum artis auxilium vel recuſarunt feminæ malè pertinaces, vel denegarunt obſtetrices imperitæ Chirurgive timidi aut famæ nimiùm conſulentes, vel tandem ſeriùs & exhauſtis omninò parturientis viribus adhibuit obſtetricans, quale habetur exemplum in funeſtâ hiſtoriâ quam de propriâ ſorore auctor laudatus non ſine ſummo acerbiſſimi doloris ſenſu & vehementi ſtylo ipſe exaravit (*a*).

(a) *Malad. des Femmes grosses. Liv. I. ch. 21.*

IV.

MAGNUM fuit sanè & humano generi perutile hanc fatiscenti naturæ succurendi rationem invenisse. Sed non semper ex sententiâ procedit eventus. Quandoque, etiamsi partus acceleretur, non nisi ad aliquot horas puerperæ vita protrahitur, & is est medentis dolor, ut nihil juvante hoc præcipiti auxilio, hæmorrhagiam persistentem, miseramque matrem non diù proli superstitem videat. Solebat *Mauriceaus* id calamitatis exhaustis puerperarum viribus tribuere. At propiùs rem attigit recentior quidam inter obstetricantes viros peritissimus (*a*), dum unicam in hoc casu accusavit uteri inertiam, qui re verâ intrà partum coactum & quasi violentum in statu merè passivo versatus, neque assuefactus contrahi per conatus successivè repetitos ut fit in partu naturali, otiosus etiam post partum & quasi atonus remanens, per distenta adhucdum & hiantia vasa sanguinem reliquum emittit. Præstat igitur, quò illud infortunium avertatur, medium quendam cursum inter partum violentum & partum naturalem tenere, excitando nimirum in utero veras contractiones quarum ope fœtûs exclusionem ipse moliatur ac juvante Medico perficiat. Incœptæ sic per irritationem ante partum factam contractiónes, pergent adhuc partu absoluto, magis ac magis astringentur vasorum sanguinem fundentium oscula, & sanguis sistetur. Itaque ubi primùm agnoscitur sanguinem ex uteri fundo profluere, atque femina dolores ad partum sentit, tunc partus manu hâc ratione promovendus. Explorandum os uteri, an incipiat jam dilatari, an rectè situs infans; tum leviter lacessendus ad dolores uterus immisso primùm uno digito intra illius os, quod deinde binis digitis magis ac magis paulatim diductis ampliabitur; simulque vehementiores excitabuntur hujus visceris contractiones, donec satis producta intra vaginam velamenta discindi possint & humores effundi. Quæ quidem membranarum festinata disruptio aliàs noxia hîc multiplici nomine venit commendanda. 1°. Si illæ diutiùs integræ relinquerentur, majorem utique placentæ cui adhærent excitarent avulsionem, ut potè instantibus doloribus agitatæ & antrorsum pulsæ, ac proindè sanguinis profluvium etiam adaugerent. 2°. Humores effusi partes lubricant, os uteri, vaginam, vulvam molliunt, & exituro fœtui viam parant, 3°. Protinus clauduntur vasa ipsa uteri ope contractionum hujus visceris, statim atque humores, quibus distenta fuerant, per ruptas membranas effluxerunt. Partus igitur sic manu promotus, modo naturali absolvetur, posteà secundæ prudenter educendæ, ac sanguis congelatus accuratè, ut superiùs dictum, everrendus.

(a) *Puzos Mem. de l'Acad. de Chir. tom. I.*

V.

VERUM datur & alius casus, licèt rarior, in quo partum ita promovere & dolores sensim excitare foret periculosissimum, quando scilicet placenta ori interno uteri, ipso conceptionis tempore, adhæsit, ibique accrevit. Tot observatis probatur id phænomenon ut à nemine sanæ mentis in dubium revocari possit (*a*). Qui autem verum graviditatis & partûs mechanismum ritè perspectum habent, quique apprimè intelligunt fibras motrices in fundo uteri dispositas fibrarum cervicis uterinæ esse antagonistas, ut aiunt Anatomici, ii non difficili negotio agnoscunt, quantùm expedit in supradictis circumstantiis (§. III. IV.) uterum ad contractionem lacessere, tantùm in hoc casu futuram esse noxiam illam encheiresim, siquidem prout uteri fundus in contractionem nititur, os diducitur simul; & quâ proportione perficitur illa diductio, eâdem quoque, placentâ magis ac magis solutâ proindeque pluribus hiantibus vasis, ingravescit sanguinis profluvium nedum remit-

(a) Vid. *Cl. Boehmer*, disquisit. de situ uteri, &c. §. VII. *Haller.* in *Boerh.* Comment. §. 676. n. *i.* & innumeros autores ab utroque excitatos, & præsertim. *Hist. de l'Acad des Sc.* 1723.

tat (*b*). Auctâ enim causâ augetur effectus. Quid ergò in hâc rerum angustiâ agendum? Illicò arte & vi adhibitâ educi debet fœtus, eòque audaciùs festinandum est, quòd fundi & laterum matricis post partum inertia non hîc timenda est, ut observavit optimè Cl. *Levrette*, peritissimus Chirurgus Parisiensis, in exquisitâ de hoc casu diatribe quam cum auditoribus suis communicat, siquidem vasa aperiuntur tantummodò in uteri cervice, quæ & accuratiùs & celeriùs reliquis hujus visceris partibus absoluto partu sese contrahit. Minimè verò auctor esse velim, ut media tunc perforetur placenta ad viam sibi in uterum parandam, quemadmodum laudatus Chirurgus atque etiam *Platnerus* (*c*) suadent. Illa encheiresis difficilior mihi videtur, longior & periculosior præsertim infanti, cùm ea sit placentæ crassities ut possit dilaceranti satis quidem resistere, & prætereà hâc violentâ dilaceratione non possint non disrumpi plurima placentæ vasa non mediocria, quibus totus sanguis ex fœtûs corpusculo per arterias iliacas devectus mox exhauriretur. Illi contrà faciliùs, simpliciùs, tutiùs procedere videntur, qui digitum in os uteri insertum circumducunt, exploraturi quonam loco placenta latiùs soluta sit ac sanguis vehementiùs erumpat, dein pergendo hujus decorticationem ac quasi deglubendo donec ad membranas ipsas pervenerint, has tum discerpunt, & fœtum, conquisitis pedibus, per aperturam factam extrahunt. Hanc operandi methodum Cl. *Petit*, hujusce Celeberrimæ Facultatis Doctor Medicus, cùm in cæteris tum præcipuè in arte obstetriciâ peritissimus, in privatis prælectionibus semper commendavit, laudatam alioqui à Cl. *Friedio* (*d*) cujus nomen in eâdem arte jam dudum Argentorati inclaruit, & eandem sæpiùs, quantùm ex obstetricantium observationibus ritè collatis conjicere licet, felix eventus comprobavit. Hoc enim posito quod ipse contendit Cl. *Levrette* in dictâ diatribe, nimirum *Mauricæo* casum de quo hîc agitur toties contigisse, quoties ille exempla affert partuum in quibus placenta sese prætulit obvia; (quod quidem ad verum propiùs accedere videtur, quoniam observavit *Mauricæus* in illis omnibus casibus hæmorrhagiam incepisse jam à septimo aut octavo mense, deindè rediisse largiorem, eòque magis ingravescentem, quò propiùs instarent veri dolores) patet ex historiâ illorum partuum, non aliam encheiresim quàm quæ à nobis proponitur ab ipso fuisse adhibitam, cujus ope tamen & matrem & prolem ab interitu plerumque vindicavit.

Ergò parturienti accidente hæmorrhagiâ uterinâ, partus diversâ, pro diverso casu, encheiresi promovendus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Amabilis Chomel, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in Nosocomio Quebecensi.

M. Jacobus Gourlez de la Motte.

M. Guillelmus-Josephus de de l'Epine, Antiquus Facultatis Decanus & Rei-Herbariæ Professor.

M. Petrus-Abrahamus Pajon de Moncets, Eques.

M. Paulus Le Roy.

M. Ludovicus-Hieronymus Cosnier.

M. Claudius-Thomas-Guillelmus Guilbert de Préval.

M. Joannes-Baptista Bassevil-le.

M. Nicolaus Le Roy de Saint Aignan.

Proponebat Parisiis JACOBUS SAVARY, Æduensis, Doctor Medicus Remensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1758, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1758.

...optimè ...at Cl. *Levrette*, & post eum Cl. *Roederer* (Elem. art. obst. §. 678). Vehementissimum torrentem eo tempore prosilire quo dolorum actio majori vi istam diductionem efficit per legem plane oppositam legibus cæterorum casuum, & hoc est signum evidens causæ hujusce profluvii.

(*c*) Inst. Chirurg. Lipf. 1745. pag. 1031.

(*d*) Vid. *Boehmer*, loc. cit.